

DE  
NEGLECTV SACRARVM LITERA-  
RVM OB NIMIVM PROFANORVM  
SCRIPTORVM AMOREM  
NON NIHIL PRÆFATVS  
VENERANDOS SCHOLÆ ANNAE-  
BERGENSIS  
INSPECTORES  
ET  
FAVTORES RELIQVOS CVJVS-  
CVNQVE ORDINIS ET  
DIGNITATIS

AD  
AVDIENDAS ORATIONES,

QVIBVS  
DISCIPVLI QVIDAM HINC DISCESSVRI IN  
ACADEMIAM, QVIDAM ETIAM MANSVRI  
NOBISCVM

HISTORIAM SACRAM PROFANORVM SCRI-  
PTORVM TESTIMONIIS ILLVSTRABVNT,  
PERAMANTER INVITAT

M. JOH. FRIEDLIEB STÜBELIVS,  
RECTOR.

---

ANNAEBERGAE,  
TYPIS AVGVSTI VALENTINI FRISIL.





Abent hoc venustiores literæ, quæ è profanorum monu-  
mentis peti solent, ut quos nimio sui amore implevere,  
ab attenta sacrarum paginarum evolutione sensim avo-  
cent, earumque fastidium quoddam in animos incautos  
& inani voluptate deceptos invehiant. Quod ne gratis  
dixisse videar, ad exempla quædam summorum virorum,  
qui in maxima elegantioris doctrinæ laude versati Scri-  
pturam S. despiciatui duxere, & quorum tanta extat copia, ut nihil esse possit  
cumulatus, memor instituti mei, provocabo, trita sint illa licet & pervulgata. Pri-  
mum inter eos locum habeat Angelus Politianus utriusque linguæ peritissimus, &  
Poetarum sui avi facile Princeps, quem profanæ literaturæ dulcedine abreptum plus  
Pindari, quam Davidis divini vatis odæ delectarunt, quique in his deliciis, cum  
rapida febris torreretur, extrema illi afferente, spiritum, ipse scilicet cantator funeris  
sui, inausulto sine reddidit. Succedit huic jure suo Petrus Bembus, tam religiosus  
Tullii adulator, ut Epistolas Pauli, tanquam Ciceronianis longe inferiores, naufragaret,  
atque per contemptum Epistolæ diceret, admonens amicorum nonneminem, teste  
Lansio, ne attingeret illas, vel, si cœpisset legere, abjiceret de manibus, si elegantiam  
scribendi & eloquentiam adamaret. An ad eandem insaniam, sacra fuscque deque ha-  
bendis, adactus fuerit Jacobus Sannazarius, Poeta felicissimus, & qui solus inter recen-  
tiores justum carminis pretium tulit, alii viderint. Hoc certe ipsum multis suspen-  
sum reddidit, quod nomine Christi & Jesu per integrum illud de partu virgineo  
carmen abstulit, ne illud Latinis auribus forte offensæ esset, & quod aliud de re-  
bus a Christo gerendis Vaticinium afferre noluit, quam Prothei & Sibyllarum, spre-  
ta Elixæ & aliorum Veridicorum Dei interpretum autoritate, qui rem ita subje-  
cete oculis, ut nullus Apelles eam melius in tabula exprimere potuisset. Nec,  
quod vivens valensque contemserat salutare Servatoris nomen, moribundo succur-  
rit, Musas identidem appellanti, quarum hostem Aurantium, ville suæ vastatorem  
extinctum unice latabatur. Quis vero Georgio Buchanano, heluoni illi & parasito  
regio non incelebri, injuriam fieri arbitretur, si is quoque in hunc censum referatur?  
Adeo enim ille cum poculis perditæ amavit Propertii veneres, insuper habitis  
divinis oraculis, ut morti jam proximus ægre pateretur exigi a se illam precandi for-  
mulam, quam ipse Christus, ut summam omnium votorum, nobis commendavit, sub-  
stitueritque illi versum ex eodem Poeta majoris pretii visum:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

Nec vereor invidiam, si huic adjunxero maledicum illum Petrum Aretinum, qui  
veteres Poetas suo idiomate feliciter expressos in deliciis habens, & divinarum lite-  
rarum omnino oblitus, inter poeticas obscœnitates & mordaces jambos consenuit,  
hoc sepulchrali titulo tandem cohonestatus:

Condit Aretini Cineres lapis ille sepultos,

Mortales acri qui sale perfricuit.

Intactus Deus est illi, causamque rogatus

Hanc dedit: ille, inquit, non mihi notus erat.

Vix me contineo, quin Dominicum Baudium, Poetam & Oratorem non siccum huc  
advocem, qui insano Petronii spurcissimi omnium scriptoris amore captus commu-  
nem Dei & hominum hostem de eo consuluit, sciscitatus, ubi integrum illius opus  
lateret? nisi hoc forte a Scioppio, qui gravissimus ei adversarius est constitutus, per  
invidiam in eum est excogitatum. Æquiori forte jure Lazarus Bonamicus, Patavii  
insigne olim ornamentum, ejusmodi impii neglectus sacrorum oraculorum à nobis



accusatur. Huic enim Cicero & Pindarus adeo cordi fuerunt, ut præ illo beatæ Arabum gazæ & tituli Maximi Pontificis, præ hoc vero Davidis Hymni ei, perinde ut Politiano, forderent. Intactos relinquo Casp. Barlaam, Jac. Cujacium, Steph. Doletum, Adrianum Beverlandium, sexcentos alios, ob immoderatum literarum Græcarum & Romanarum amorem, & pretium iusto majus ethnicis Autoribus statutum, in eandem suspiciõnem à nonnullis adductos, qua neque hos, neque priores liberos omnino pronuciare possum, cum multi his æthiopicis dealbandis manus frustra adhibuerint. De Iusto Lipsio & M. Ant. Mureto nonnihîl adiciendum puto, quorum alter Plautum & Tacitum, huncque totum memoria comprehensam, tanquam Deos suos exosculatus, in religione autem varius & inconstans, parvi duxisse eloquiâ Dei quibusdam visus est: alter vero annorum flore in eloquentiâ Ciceroniâ studio, cui se totum à puero dederat, & atrocibus flagitiis consumto, matura demum ætate de sacris literis cogitare cœpit, Autor Libri de Tribus Impostoribus, propter impietatem, qua nec sacri codicis auctoritati pepercit, vulgo creditus. Alios ex pontificiis, qui vel Ælopi fabulas, vel T. Livium divinis monumentis, æquipararunt paremque iis auctoritatem tribuerunt, dissertatione peculiari recensuit S. R. D. Ge. Henr. Goetzius, Vir sanctæ apud Annæbergenses memoriæ, qui sub finem scripti illius calculum nobis adjecit suum, dicens: *Sordent haud raro criticis, & qui humaniora tractant studia, literæ diviniore, fabulæque pulchre effictæ & ornate, atque Auctores Classici sunt multo gratiores.* Testem nobis, qui instar omnium esse queat, se offert etiam D. Augustinus, ipse id scilicet expertus. Cum enim professus esset, multum se utique debere lectioni Ciceronis, addit, sibi deinde indignam visam esse Scripturam S. quam Tullianæ dignitati compararet. (\*) Et sane, qui juventuti præfunt in scholis, id verum esse, quod immodicus ethnicorum scriptorum usus sacrarum literarum amorem adolescentibus sæpe eripiat, facile deprehendunt. Solent enim illi, ubi semel degustarunt dulcedinem, quæ huic librorum generi inesse intelligitur, ea adeo teneri, ut ægre divellantur ab iisdem, & omnia, quæ optant, inibi se invenisse putantes, voluminibus cælesti sapientia refertis eos temere præferant. Qua libidine correptos ego novi complures, etiam inter eos, cum quibus studiorum societatem admodum adolescens junxeram. Quorum dum recorder, memoria nonneminis mihi recurrit (is ejurata fide nostra nunc est inter purpuratos aula Magni Turcarum Imperatoris) cui Maroniani & Horatiani Carminis suavitate fascinato scelestæ hæc vox sæpe excidebat: Quid mihi cum Prophetis? Poetas laudo! unde manus illius, etiam inter sacra publica, hujus census libri plerumque implebant, plus vice simplicis excussi iis a Magistris & hominis impietatem, graviter indignantibus. Cum igitur tot doctissimorum virorum exemplis, & ipso usu doceamur, facile eò delabi profanarum literarum, amatores, ut iis solis inhaerentes sacras negligant, & pietatis culturæ obliviscantur, eò majori studio providere debent illi, quibus ingeniorum cura relicta est, ne idem accidat suis, & ita prudentes temperare lectionem Auctorum, quos Classicos appellare consuevimus, ut potior semper honos maneat sacris paginis, cum quibus collata ethnicorum volumina, quantumcunque salis habeant & elegantia, ipsis quisquiliis sunt viliora. Et ne obrepat discipulis imprudentibus sacri codicis fastidium, explicationi Ciceronis, Flacci, Nalonis, & qui demum cunque alius hujus farinae enodandus veniat, sacra nunquam non admisceant, dicta ab ipsis ad normam unicam veritatis exigant, errores eorum fideliter notent, & cogitationes discipulorum aliis rebus omnibus intentas ad divina & magis salutaria traducant, subinde, quò consilio profani Auctores ipsis prælegantur tradanturque in

(\*) *Confess. L. III. c. 5.*

FR 119 374

x 3682800

manus, ne se totos mancipent iis, subjicientes. In eo tamen nequaquam subsistendum, sed certè etiam horæ ipsi interpretationi pandectarum sacrarum tribuendæ, in quibus id pens habeatur, ut Numinis ter Optimi Maximi amor & reverentia auditoribus sedulo commendetur, & pietatis sensus major indes in tenellis mentibus excitetur: utque occurratur ex omni parte inepto & superstitioso vel Oratorum vel Poetarum veterum præ S. Bibliis amori, hæc collaudanda identidem, eorumque divina, qua nullus liber alius gloriari possit, origo, necessitas & utilitas serio inculcanda. Ex dictis igitur apparebit jam, id me non agere, ut libri ex ethnicorum ingenio prognati è scholis eliminentur, qui si recta mente & cum justa circumspicione legantur, omnino tolerari possunt; nec velle, ut quisquam existimet, elegantioribus literis, quas ex fontibus illis haurire solemus, per se id inesse, ut animos operantium iis à sacris tabulis abstrahant & pietati injiciant remoram, quod vitio eorum contingit, qui illis malè utuntur; Affirmo potius, multa suppeditari in profanorum monumentis ad nostra usque tempora sapienti Dei consilio conservatis, quibus veritas sacrarum literarum, & historiae cumprimis in eas relatæ, adstruat quodammodo & corroboretur: id quod Egidius Hunnius in oratione de hoc Criterio certitudinis historiae sacre Anno 1585. Marpurgi recitata, Petrus Dan. Huetius in Demonstratione Evangelica & quaestionibus Alnetanis, Hugo Grotius in Libello de veritate religionis Christianæ, Christianus Zoega in Disp. de usu Lectionis scriptorum profan. in Theologia dogmatica, Jo. Christianus Albrechtus in Disp. de Plagio Gentili ex Vet. Testamento, præterque hos alii innumeri dederunt comprobatum. Et hoc ipsum argumentum delegerunt sibi cras ascensuri Cathedram Oratores mei umbratici, in quo vires ingenii & dicendi qualemcunque facultatem experirentur. Illi enim ipsos ethnicos, lucis divinæ egenos, Historiæ sacris paginis comprehensæ accedere testes, uberius declarabunt. Et priores quidem duo Juvenes politissimi Patronisque maximopere commendandi hinc abituri in Academiam Lipsiensem

JOH. ANDR. SCHLOSSERVS

&

CHRISTIANVS HENR. KEMNA

Annæbergenfes,

hic Collegæ mei conjunctissimi, ille vero Metallici ejusdam pridem defuncti filius, qui inde a tenera ætate in schola patria bonis literis innutriti & Latii pariter atque Hellados opibus ditati, ultimum nunc specimen in hac palæstra edituri *potiora capitula Historiæ Veteris Testamenti profanorum testimonii illustrabunt*, subjuncto que alter Germanico, Carmine <sup>à Alex. Lehmann</sup> Multis nostris ultimum vale accinent: Reliqui vero mansuri nobiscum

JOH. CHRISTOPHORVS RICHTERVS,

Sorenf. Misn. &

CAROLVS GOTTLOB SCHELLIVS,

Alberthaynenf. Misn.

*Testimonia paganorum proferent, quibus præcipua Historiæ Novi Testamenti momenta illustrari queunt, tandemque*

JOH. ANDR. DIETZIVS, Barenstein. Misn.

tibi primum de occasione dixerit, quibus *Historia Sacra Ethnicis innouit*, abituris sanctos vales & res secundas apprecabitur.

Hos ne pigeat benevolè affectu audire, Vos, Patroni & Fautores Scholæ nostræ & bonarum Mentium optimi, justis precibus volo rogatos. Scribeb. VI. Kalend. April. cl. Is CC XXVII.

VD 18

MC





DE  
NEGLECTV SACRARVM LITERA-  
RVM OB NIMIVM PROFANORVM  
SCRIPTORVM AMOREM

NON NIHIL PRÆFATVS

VENERANDOS SCHOLÆ ANNAE-  
BERGENSIS

INSPECTORES

ET

FAVTORES RELIQVOS CVJVS-  
CVNQVE ORDINIS ET  
DIGNITATIS

AD

AVDIENDAS ORATIONES,

QVIBVS

DISCIPVLI QVIDAM HINC DISCESSVRI IN  
ACADEMIAM, QVIDAM ETIAM MANSVRI  
NOBISCVM

PROFANORVM SCR-  
IBVS ILLUSTRABVNT,  
ER INVITAT  
EB STÜBELIVS,  
TOR.

ERGAE,  
VALENTINI FRISII.

